



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 4. Quid sit Character Sacramentalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

326 Pars 3 tract. 4. cap. 2. De Sacram. in comm.
gratiam operari, ad quam constat, ea tantum
moraliter concurrere, movendo Deum, ut suam
nobis gratiam largiatur.

§. 4. *Quid sit Character sacramentalis*

Respondeo, Characterem sacramentalem
esse signum quoddam spirituale, in anima
indelebile, & ab alijs distinctivum, quod in ea-
dem persona non iteratur. Tria sunt Sacramen-
ta, quæ Characterem sacramentalem impri-
munt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

Constant hæc ex Conc. Florentino, & Tri-
dentino sess. 7. Can. 9. contra Wicleffum, &
Calvinum. Et de hoc Characterem videtur esse
illud Augustini, tract. 5. & 6. in Ioannem; Si
baptizatus Charitatem non habet, Characterem
quidem impositum habet, sed desertor va-
gatur.

Ratio cur illa Sacramenta Characterem im-
primant, est tantum voluntas Christi: cuius
motivum fuisse videtur, tradere signum perpe-
tuo distinctivum personæ ad certum statum à se
cooptatæ. Per Baptismum enim assumitur homo
in Christi familiam, per Confirmationem in mi-
litiam, per Ordinem in ministerium: quod in a-
lijs Sacramentis locum non habet, quæ ad suc-
currendum necessitatibus in vita occurrentibus
instituta sunt, ideoque possunt sæpius iterari. Illa
autem tria cum significant statum aut potesta-
tem permanentem, nequeunt iterari, aut eorum
Character in hac vita deleri. Imò, ex commu-
ni Theologorum sententia, manet etiam post
mortem Character ille in Beatis ad Christi glo-
riam, & in damnatis ad eorum confusionem
sempiternam.

Oppo-

Opponunt quidam Novatorum, Characterem hunc præsertim in Ordine ac Confirmatione superfluum & fictitium esse, ex eo quod illius antiqui Patres non meminerint.

Sed ut paucis respondeam, Etsi illius mentio apud Patres non extaret (quod minimè admitto) satis tamen constat eam doctrinam tam ex Concilijs, quam ex communi Theologorum consensu recipiendam esse. Neque enim omnia illi- co repudianda sunt, quæ disertè in Patrum Scriptis non exhibentur.

Annotatio de Sanctis Patribus, & Theol. modernis.

ATque hic in ordine ad alias hoc tempore quaestiones obiter notandum. Inanem esse hodie strepitum quorundam Scriptorum, ac si actum esset de *Sanctorum Patrum* autoritate, si quis asserat, Aliqua magis esse Theologis recentioribus, quàm prisca Patribus cognita, & explorata. Quæro ego, An non potuit D. Thomas, longo post Patres sæculorum intervallo, legere & intelligere easdem Scripturas, eadem Concilia, aliæque veterum monumenta, ex quibus, exempli gratiâ S. Augustinus aut S. Ambrosius suam scientiam hauserunt? An non potuit idem exhaurire ipsius Augustini volumina, & alia plurima quæ postea per sex septemquè integra sæcula illis accessere. Non potuit tamen è converso S. Augustinus, aut ullus Patrum novisse omnia quæ post suum obitum per decem & amplius sæcula hætenus in lucem prodierunt: qualia sunt quæ sancita fuere in Concilio Florentino, & in Lateranensi, & in Tridentino circa varias quaestiones tot sæculis exortas, circa reservationes, concessiones, ritus, facultates, reformationes,